



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 132. Totum ferme Neopolis regnum a Gallis recuperatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1502.

intererat, ut Papam sibi benevolum haberet: accessit etiam Cardinalis de Ambasia sollicitudo, qua Regis iram in Alexandrum semper lenire satagebat: quapropter Pontifex hujus Cardinalis ambitione ad res suas, Ducisque Valentini amplificandas egregie utebatur, eidemque hunc in finem Sedis Apostolicæ in Galliis Legati dignitatem ad duodeviginti omnino annos prorogabat, Ducem vero filium suum ad Regem mittebat, in cujus aula tam potenti valebat auctoritate, ut quamvis de ejusdem violentiis quamplurimi quererentur, Ludovicus tamen cum Alexandro VI. novum foedus iniret, qua indulgentia, inquit Mezerajus, „ non modo totius Italiæ indignam, sed forte etiam Dei indignationem in se concitabat; quibus enim sollicitas est cum impiis, propitium sibi Numen habere nequeunt. „

*Mezer. ab-reg. Chronol. hist. de Louis XII. p. 129.*

§. CXXXII.

*Totum ferme Neapolis regnum a Gallis recuperatum.*

*Alvar. Gom. hist. lib. 4.* Interea vero Galli victricia arma in Neapolis regno latius circumferebant; Ne-  
*Joan. Ant. hist. Lud. XII.* mosius enim, cum Consalvo viribus superior esset, primo illum castris excedere compulit, postmodum cum toto Gallici exercitus robore Canosam cinxit, quam

*Guicc. l. 5.*

quam urbem nonnisi post gravissimos, Sæcul. XVI.  
A.C. 1502.  
eosque diuturnos obsidionis labores se expugnaturum sperabat; hanc enim urbem celeberrimus Petrus Navarra obscuro quidem genere natus, ast fortitudinis suffragio ex gregario milite ad Hispani exercitus imperium euectus tuebatur, imposito sexcentorum selectioris militiæ præsidio, quod potius mortem, quam urbis deditionem selecturum, Consalvus persuasum habebat; cum vero tolerabilior esset Canosanæ urbis quam adeo strenui Belliducis iactura, atque aliunde Maritimas Apuliæ urbes defendere Consalvo præplaceret, Petro Navarra significari iussit, ut relicta urbe copias suas ad eum adduceret. Paruit Navarra imperatis, moxque Canosa deditione accepta est, ceteræque Apuliæ, & Calabriae urbes sese Gallorum imperio subjecerunt; unde Nemosius totum Neapolis Regnum (exceptis circiter sex, aut septem oppidis) subegit, majori vincendi facilitate, quam parta tuendi constantia; proximo enim anno Consalvus Albini Marescalli copiis cæsis, fugatisque, Gallos toto regno penitus expulit.